UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die Schrift

Degering, Hermann

Berlin, 1929

112 Register der Abtei Bury St. Edmunds. 1426. Brit. Mus. Cotton Ms. Claudius A. XII, S. 153. (Nach: New Palaeogr. Society S. 1, Vol. 2. pla. 97.)

urn:nbn:de:hbz:466:1-68942

Visual Library

Cum venerandorum trium magorum ymmo verius trium regum gloriosissimorum universus mundus ab ortu solis usque ad occasum laudibus sit plenus et meritis eo quod oritur ortus solis radius sic et ipsorum trium regum actorum meritis perfulget. Nam ab ipso solis ortu usque in orientem venit dominum et hominem eorum muneribus veris et misticis ibidem tres reges beati in carne viventes quesierunt et adoraverunt. Et primicias gencium et ex gentibus primicias virginum ortu solis pro fide gencium primarios dedicaverunt. Occasum vero solis prefati reges eorum reliquiis venerandis et signis carne soluti multipliciter ornaverunt et in ipso solis occasu primarias suas fidem gencium virtutibus et signis approbaverunt. Et quia in solis ortu que in humanis gesserunt adhuc quamplurima in diversis libris et locis de ipsorum meritis et actibus sunt perscripta que in occasu solis adhuc forsan sunt incognita ideo secundum visum et auditum hic in honorem beate virginis Marie ac ipsorum trium regum aliqua vestro iussu conscripta sunt et ex diversis libris in unum redacta.

Materia vero istorum regum beatorum ex propheta Balaam sacerdotis et prophete Madian gentilis originem traxit qui inter alia plurima prophetando sic ait Orietur stella ex Iacob et exurget homo de Israel et dominabitur omnium gencium. De isto Balaam est altercacio in oriente inter christianos et iudeos. Iudei namque in libris suis dicunt Balaam non prophetam sed augurem fuisse et arte magica prophetasse quapropter augur et non propheta merito debeat appellari. Libri vero christianorum dicunt oppositum, allegantes quod Balaam fuit gentilis et primus propheta gencium et de incarnacione Christi et istorum trium regum adventu gloriose prophetavit. Nam si eius prophecia ex arte magica vel diabolica fuisset ipsum diabolus ad maledicendum Israel non prohibuisset. Sed deus ex magna dileccione per angelum suum ipsi Balaam signis demonstravit antequam ipsum per malum consilium suum ad iracundiam provocavit. Sed ut iam dictum est quia Balaam fuit gentilis et primus propheta gencium ex

· 3 3